

PONTANO

EGLOGAE (1596 vers)

Ce texte est constitué de dialogues. Les interlocuteurs sont, à chaque changement, identifiés. Il arrive que la prise de parole se fasse à l'intérieur d'un vers : on a, dans ce cas, un tiret dans le vers et une double indication de locuteur (ex. MACRON - LEPIDINA), le premier nom désignant celui qui laisse la parole, le second celui qui la prend.

I LEPIDINA CUIUS POMPAE SEPTEM. COLLOCUTORES MACRON ET LEPIDINA

MACRON

E1_01 v.1 Et gravida es, Lepidina, et honus grave languida defers,
 2 obbam lactis et haec fumanti farta canistro ;
 3 hac, agedum, viridi paulum requiesce sub umbra,
 4 declinat sol dum rapidus, desaevit et aestus.

LEPIDINA

5 En lactis tibi sinum atque haec simul oscula trado ;
 6 umbra mihi haec veteres (memor es) jam suscitatur ignes ;
 7 o conjux mihi care Macron, redde altera, Macron.

MACRON

8 Hic mihi tu teneras nudasti prima papillas,
 9 hic, Lepidina, mihi suspiria prima dedisti,
 10 tunc Macron, Lepidina, tibi, Lepidina Macroni.

LEPIDINA

11 Has inter frondes virgultaque nota latebas,
 12 cum tibi prima rosam, primus mihi fraga tulisti.

MACRON

13 Hic Macron, Lepidina, meus, me prima vocasti,
 14 et primus mea, te alternans, Lepidina, vocavi.

LEPIDINA

15 Viximus ex illo gemini sine lite columbi,
 16 nox socios vidit, socios lux ; oscula junge
 17 mutua, sic gemini servant in amore columbi.

MACRON

18 Illa, uxor, meministi nunc, oscula prima fuere ;
 19 nostra tuis, tua labra meis haesere, diuque
 20 spiritus alterno huc illuc se miscuit ore.
 21 Tunc Orcus si nos una rapuisset, amantum
 22 una futura anima, una etiam simul umbra futura.

LEPIDINA

23 Quod felix faustumque omen sit ; rejice, conjux,
 24 hirsutum hunc thalamis, thalami sint omnia fausta,
 25 Parthenope thalamo namque est dignissima fausto.

MACRON

26 Hirsuti, horripilique absint. Age, candida an ipso
 27 visa viro virgo est, heroe et conjuge digna ?

LEPIDINA

28 O Macron, mea cura Macron, illi alba ligustra
 29 concedant, collata illi sint nigra colostra :
 30 Delioli ad fontem sola ac sine teste lavabat ;
 31 (vidi ego, vidit Anas) viso candore puellae,
 32 qui niger ante fuit, nunc est nitidissimus ales,
 33 et mihi tum subitus crevit per pectora candor :
 34 ipse vides, niveas cerne has sine labe papillas.

MACRON

35 Quin haec candentes, lux o mea, pascua tauros,
 36 quod nec sueta ferunt, nostrae sunt munera nymphae.
 37 Ipse tuas, mea lux, teneo foveoque papillas,
 38 nec liquido cedunt argento aut pondere plumbo.
 39 Fige oculos in me, conjux mea, qui mihi lucent,
 40 et lychnum et quod nec nigricante cicendula nocte ;
 41 Parthenope anne aliis, anne his dea fulget ocellis ?

LEPIDINA

42 Magnetem gerit illa oculis stellamque supremam :
 43 venerit ad litus, trahit ad sua lumina pisces ;
 44 iverit in silvas, trahit ad spectacula cervos,
 45 illicet indomiti surgunt ad praelia tauri ;
 46 verterit illa oculos in quem juvenemve senemve,
 47 ille perit : miseris haec crescit amantibus error.

MACRON

48 Me miserum, ne oculos in me quoque vertat et ipse
 49 avellar procul his, procul ah, Lepidina, lacertis.

LEPIDINA

50 Ne, conjux, ne, care, time ; nam sedula mater
 51 hoc docuit, ter te ut levi pro limine postis
 52 amplectar, ter rapta tibi simul oscula jungam,
 53 et dicam : "Meus es" ; tenerum quoque eryngion ore
 54 ferre dedit, dedit atque hederæ cum fronde racemum
 55 ferre sinu, et geminis te noctu honerare lacertis ;
 56 neu limis, mea lux, dominam spectaris ocellis,
 57 praesertim si blanda pedem nudarit ; ibi illa
 58 retia tendit et insidias parat et fovet ignem :
 59 quae mihi frater Acon, soror et soror altera dixit.

MACRON

60 Haec eadem mihi Naretas et amicus Omason,
 61 quin majora ferunt : siccat dum nympha capillum
 62 ad speculam et niveae ludunt sine veste papillae,
 63 vidit et : "O, dixit, Saliceni filius, alis
 64 utar et ad celsam pennis ferar ipse fenestram."
 65 annuit et placidis risit dea dulcis ocellis :
 66 ille volat, celsam pennis petit inde fenestram.
 67 Dic, mea, dic, formosa canit dum nympha per aestum,

MACRON - LEPIDINA

68 audierisne deam ? - Ad saepem tum forte latebam,
 69 cum canere inciperet, atrox hic dente pylaster
 70 latrat ; ibi ipsa fuga saepem insidiasque reliqui.
 71 Invidia (sic Nicla refert) Philomela recessit ;
 72 at circum attonita stupuere ad carmina nymphae.
 73 Ipsa quidem canit, at venti posuere silentes
 74 strataque pacati requierunt murmura ponti :
 75 "Exoptat messemque sator frugemque colonus,
 76 ver ales, carum virgo desponsa maritum ;
 77 vitis in arboribus, hederæ pro rupibus altis,
 78 conjugis in cupidis gaudet nova nupta lacertis ;

79 irriguum sitiunt fontem sata, pabula rorem,
 80 nupta sitit socii lusus et gaudia lecti."
 81 haec dea : surgamus, meus hoc, age, personat Hymen.
 82 Pompa venit celebresque vocant Hymenaeon ad aedes.

POMPA PRIMA. MARES AC FOEMINAE E RURE PROFICISCENTES ALTERNIS CONCINUNT

FEMINAE

E1_02 v.1 Sperne tuas salices et myrto tempora cinge,
 2 desere saepta, puer, namque urbs tua gaudia servat.

MARES

3 Pone tuos fastus, faciles atque indue mores,
 4 Parthenope, et quid amor, quid sint connubia cura.

FEMINAE

5 Disce puer, thalamo lusus et conjuge dignos ;
 6 lusus amat thalamos et amant sua ludicra lectum.

MARES

7 Parce puella, viro nimium pugnare volenti ;
 8 lis thalamis aliena et habent sua foedera lecti.

FEMINAE

9 Est nigris nova nupta oculis, est nigra capillis,
 10 spirat Acidalios et toto corpore flores.

MARES

11 Et roseo juvenis ore est roseisque labellis,
 12 stillat Acidalium roseo et de pectore rorem.

FEMINAE

13 Intactum florem maturaque poma legenti
 14 servat in occultis virgo jam nubilis hortis.

MARES

15 Poma manu matura leget floremque recentem
 16 rore novo juvenis, tenera mulcebit et aura.

FEMINAE

17 Rivulus e tenui manat tofo, exit in amnem
 18 paulatim et ripis crescens decurrit apertis.

MARES

19 Ex oculi levioere ictu fons stillat amoris,
 20 paulatim amnes lacrimarum et flumina volvit.

FEMINAE

21 Fomite de parvo tenuis primum exsilit ignis,
 22 mox auctus versat latis incendia silvis.

MARES

23 Ignescit tenui afflatu fax lenis amorum,
 24 hinc incensa furit venis et pectora torret.

POMPA SECUNDA NEREIDUM. COLLOCUTORES MACRON ET LEPIDINA

LEPIDINA

E1_03 v.1 Eia agedum, conjux, quaenam procul aequore pompa ?
 2 Haud capiunt virides sinuantia litora nymphas ;
 3 Nereidum chorus omnis adest. En caerula prima est

4 Pausilipe implexis hedera frondente capillis,
 5 Pausilipe mihi nota, vides, procul innuit ; haec me
 6 saepe manu sua ad antra, suos deduxit in hortos,
 7 donavitque apio et odorifero serpillio,
 8 et dixit : "Tibi mite pirum, tibi praecoqua servo",
 9 Pausilipe nigro sub candida guttura naevo.

MACRON

10 Quam molli incedit passu et sese exerit ore
 11 quae sequitur, praecincta sinum et pede candida nudo ;
 12 an fortasse tibi, conjux nitidissima, nota est ?

LEPIDINA

13 Ut sese ad choreas, Macron mihi care, resolvit,
 14 ut lepida est, veneres ut toto spirat ab ore,
 15 (an, peto, est oculo ?) memini, narrare solebat
 16 Crambane mater (eane est ?) Ea Mergilline.
 17 Invideant tibi vel digitos Prochyte Capriteque,
 18 Nerine o formosa, o Nereis heroine ;
 19 o si sim juvenis, tecum ut conjungere dextram,
 20 ut tecum hanc libeat choreas flexisse per actam,
 21 o nymphe formosa, o candida Neptunine ;
 22 dum siccas simul ad solem pectisque capillum,
 23 tunc ego, tunc niveae pennas imitata columbae
 24 sim volucris, tibi quae cerasi cum tempore primo
 25 maturos fetus et fraga rubentia rostro
 26 projiciam in gremium, primos et ruris honores
 27 per me prima legas, nostro et sis munere prima.

MACRON

28 Illa illa ; haud aliam vidi gestare puellam
 29 aptius aut pharetram, aut intendere fortius arcum.
 30 Atque alio hos arcus, alio tua spicula tende ;
 31 me meus ignis habet, et habent mea pectora vulnus.

LEPIDINA

32 Me miseram, meus est, alios pete, nympha, juvencos ;
 33 mi Macron, tege me, collo et tua brachia necte ;
 34 ne saevi, Sarniti dea, et tua tela retracta.

MACRON

35 Te teneo, avertit telum dea, fixit et Aulum.
 36 Ah miser, ut madidis vultum demisit ocellis.

LEPIDINA

37 O Macron, memini, mater me docta monebat :
 38 "Sarnitim fuge, nata, trucem Sarnitida vita ;
 39 fert intinctum oculis, arcu fert saeva venenum,
 40 non parcit pueris saevitque inimica puellis."
 41 Hinc videas Satyros passim, hinc languere Napaeas,
 42 deperit hanc Alcon, octogenarius Alcon,
 43 insanit Morphe, nonagenaria Morphe,
 44 deseruit silvas, qui nunc colit aequora, Faunus.
 45 Ecce venit Resina aviae junctissima nostrae,
 46 tristior illa quidem patris de clade Vesevi.
 47 Nam teneo (sic lenis anus referebat) amasse
 48 hanc nunquam, sprevisse procos, at litore solo
 49 maerentem casus exustaque regna parentis,
 50 Tritonis cupidam vix effugisse rapinam.
 51 Ter sese dea surripuit, tria fervidus heros
 52 oscula compressis liquit signata labellis.
 53 Nunc quoque livor adest ; at sunt sine labe papillae,
 54 quis superat nymphas ; videas si forte lavantem,
 55 non tibi candidiora poli sint lactea texta,

56 non tibi sit planta crystallus purior alba.
 57 Ex illo infidum litus fontemque relinquens
 58 rura colit, dumisque suas studiosa capellas
 59 pascit, et errantes servat cum matribus hedos
 60 quadruplici insignes hirsuta ad tempora cornu.
 61 O Macron, Macron, mihi me, tibi te nova nymphe,
 62 quae venit, eripiat, cingit quae ad tempora myrtos.
 63 Ipse vides : illi ridet mare, ridet et aer,
 64 cingit quae ad collum caltae florentis honorem,
 65 illi concedant Dryades, Nereides illi.
 66 O longis praelata comis et lumine peto
 67 Hercli, superciliis nigris, candente papilla,
 68 es memor, et meminisse decet, mea nubilis Hercli,
 69 quos mihi corallo, quae mella liquata dedisti,
 70 dives corallis et mellis munere dives ;
 71 sis memor, et niveum tibi me donasse colostrum
 72 deliciasque rosae primae et vaccinia prima.

MACRON

73 Risit et argutos in te dea flexit ocellos.

LEPIDINA

74 Fallor, an adventat caprei maris heroine,
 75 praeceditque chorus Tritonum et litora clangunt,
 76 non capiunt undante salo cava litora puppes ?
 77 Haec ipsa est, conjux, caprei maris heroine ;
 78 circumstant Aequana hinc, illinc innuba Amalphis,
 79 et fidae comites et litoris altera cura.
 80 Illam ego, dum Capreas peterem cum matre, sedentem
 81 ad scopulum vidi. Famulae properare legentes
 82 ostrea et evulsas lapidoso e margine conchas ;
 83 accepit dea me gremio et donavit echinis.
 84 Obstupui ingentemque humero ingentemque lacertis,
 85 atque utero et toto retinentem corpore formam,
 86 horrebant sed crura nigris et pectora setis ;
 87 purior Aequana cum sit nihil, aut sit Amalphi,
 88 utraque odoriferum spirent et pectore anethum.
 89 Litora sed crepuere canitque silentia Triton.

POMPA TERTIA. TRITON CANIT DONA OFFERENS; MACRON ET LEPIDINA COLLOQUUNTUR

TRITON

E1_04 v.1 O decus Italidum, longe pulcherrima virgo,
 2 Sirenum genus egregium et diis aequa propago,
 3 en tua caeruleae centum ad connubia nymphae
 4 dona ferunt auro gravida et Gangetide bacca,
 5 En tibi odoratos Panchaeae mercis honores
 6 Oceanoque advecta ferunt electra Britanno.
 7 Ferte, agite, et plenis haec dona reponite mensis.
 8 En tibi mille ferunt niveae sua sarta puellae,
 9 sarta auro intertexta et ramiferis corallis,
 10 en totidem Eois baccata monilia gemmis.
 11 Vos agedum, cultae, capitae haec nova dona, ministrae.
 12 En famuli tibi Tritones simul aere canoro
 13 servitium et volucres propter cava litora currus
 14 promittunt, iter et placido per caerulea cursu
 15 tercentum juvenes, tercentum numina ponti,
 16 et tercentenis dant haec tibi pocula gemmis

17 fulva auro, variata smaragdo et iaspide tecta.
 18 Vos haec, o niveae, thalamis servate, puellae.
 19 En caprei regina maris, cui mille ministrae,
 20 Telebois dea dat fulvis radiantia bullis
 21 cingula Cinyphoe ex auro et Garamantide ab ora,
 22 priscum opus artificisque manus diis nota Faburni.
 23 Haec olim Aenarie Nereus pater, illa sorori
 24 donat habere sui monumentum et pignus amoris,
 25 dum migrat sociae confinia ad antra Minervae ;
 26 est illis adamante novo et variata pyropo
 27 fibula, concordis thalami felicia vincla ;
 28 hac conjux ubi nuda suo cum conjuge vincta est ;
 29 accubuitque toro, celeri discordia passu
 30 diffugit et thalamos subit hinc concordia notos.
 31 Hac age, nympha, tuum simul et te cinge maritum.
 32 Nunc o nunc, socii, celebres agitate choreas,
 33 caerulei Tritones, et omnia fausta vocate :
 34 Hymen o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae.
 TRITONES
 35 Dicimus o Hymenaeae, Hymen ades o Hymenaeae,
 36 felix o Hymen, Hymen felix Hymenaeae.
 LEPIDINA
 37 Desiit ille quidem juvenis malus ; o mihi, Macron,
 38 o Macron, mihi quem incussit malus ille timorem.
 39 Herculis ad fontem mater secura lavabat
 40 gausapium, ipsa hudos siccabam sola capillos ;
 41 surripuit mihi supparium, mox innuit et se
 42 ostentat formosus ; ibi per litora praeceps
 43 eripio meme ; sequitur malus ; hic mihi dexter
 44 calceus in summa miserae defluxit arena.
 45 Quid non pollicitus ferus hic ? Ne nunc quoque tecum
 46 jam videor secura mihi ; ne respice, conjux ;
 47 quam vereor summa ne nos despectet ab alga.
 48 Litore cedamus ; manet illinc altera pompa :
 49 ipse vides, sociae properant e rure Napaeae.

POMPA QUARTA. MACRON ET LEPIDINA COLLOQUUNTUR DE NYMPHIS URBANIS
ET SUBURBANIS

LEPIDINA

E1_05 v.1 Ecce suburbanis longe praelata puellis,
 2 ecce venit pingui multum saturata sagina
 3 Butine sociis mecum consueta choreis,
 4 Butine dives hedis, sed ditior agnis,
 5 et cui sunt primae farcimina pingua curae.
 6 Ut rubicunda nitet plenisque intenta canistris
 7 nobilis et libis et cognita buccellatis
 8 Ulmia, et intortis tantum laudata torallis ;
 9 quae mihi culta placet minus, at de polline vultum
 10 non nihil alba placet, tamen est ferus ardor amantum.
 11 Theodocie soror hanc festis nam saepe diebus
 12 ad choreas vocat, hic dulcem meditatur avenam ;
 13 tum canit, ut taciti stupeant ad pascua tauri :
 14 "Ad fontem duc, Nisa, boves, dum retia tendo."
 15 Quid cum sola canit frondosae ad culmina villae :
 16 "Huc ades, o Amarylli, vocant Amaryllida silvae ? "

17 Hanc, Macron mihi care, (tulit sors) aspice nymphen :
 18 ad clivum Pistasis adest, en intuba purgat,
 19 rasilibusque honerat calathis et stringit anethum.
 20 Non clivus, non fons, non longi haec litoris acta
 21 vidit ea pictos melius contexere qualos ;
 22 nunc quoque (fama refert) liquidum quod in aere rorem
 23 cogere apes et mella cavis infundere cellis
 24 pingit, et e vario reddit sua munera junco.
 25 Forma illi damno est ; nulli connubia amantes,
 26 nulli etiam thalamos nymphae petiere jugales,
 27 quod timeant cupidae simul aspirare rapinae
 28 hinc Faunos, illinc Laestrygonas et Cyclopas
 29 correptos facie et candentis honore papillae
 30 et naevo nigrante nigroque ad tempora cirro,
 31 conjurasse tori jura et violare mariti.

MACRON

32 Heu squallet formosa domi, metus urget amantes.
 33 Capparion ubi nunc, ubi Sedigitus Manubrion,
 34 ausi etiam mediis uxorem avellere claustris
 35 Neptuni ? Centum his Tritones, at ille superbum
 36 excutit aurigam curru et lacerum abjicit undis,
 37 Capparion Petroonte, Aeronte satus Manubrion.
 38 Illi, illi heroes et digni ruris alumni,
 39 et quercu nutriti et castaneis hirsutis,
 40 arbuta quis miliumque liquens abdomen et unctum
 41 miscebant festis convivia lauta diebus.

LEPIDINA

42 Pistasis siqua est, digna est heroe marito,
 43 cultorem tamen et vitis suspirat et horti
 44 et cui sit cucumis sit et unca cucurbita curae ;
 45 est quoque spes agiles sciat, ut tornare catinos.
 46 At non Hermitis, nec Olympias, aut Conicle
 47 haec sibi conjugia aut hos exoptant hymenaeos.
 48 Conicle consueta plagas et retia ferre
 49 venatorem amat et venantis amore tenetur ;
 50 aucupiis capta est, hinc aucupis uritur igni
 51 hermitis, nec amica colo, sed et apta choreis :
 52 hae casus mihi saepe suos et vulnera nudant,
 53 quod felix hymenaeo et quod te conjuge felix.
 54 Notus Olympiadis non est amor, et timet, et vult,
 55 ast prohibet pudor et durae reverentia matris ;
 56 ipsa tamen concurrere equum et resonare sub armis
 57 gaudet, et e celsa immoritur spectare fenestra ;
 58 pingit acu tamen, ut credas mugire juvencum,
 59 in caeno grunnire suem, crepitare cicadas,
 60 ut, modo cum geminos filo discrevit amores,
 61 hunc certare avibus risu mitem et tamen alis
 62 saevire et tacitum stillare in corda venenum,
 63 illicet insolitum volucres sentire calorem,
 64 illum arcu facibusque trucem mansuescere in herba,
 65 sed furtim celeres oculis jactare favillas,
 66 illicet incensos errare per avia tauros.
 67 Est inter natas fecundae prima Labullae
 68 nomine Formellis : non hac felicius hortos
 69 ulla colit, nulli concedit munere fusi,
 70 seu ducat linum, seu mollis vellera lanae,
 71 serica seu digitis promittat fila magistris,
 72 aurea seu nivea texatur bractea dextra :

73 felix sorte sua, nymphaque beatior omni.
 74 Illi secretis fons est nitidissimus hortis
 75 Pomonis donum, matris tutela Labullae,
 76 matris Hamadryadis ; et amavit hanc quoque Pomon,
 77 Pomon avus Fragolae, atavus cerealis Acerrae,
 78 vitiferaeque abavus non certa prole Casullae.
 79 Centum habet hic neptes centumque e stirpe nepotes,
 80 formellis sed cara illi ; non advena fontem,
 81 navita non sitiit, avido quin captus amore
 82 deserat et patriam et fessos aetate parentes.
 83 Virginis haec nunc fida comes thalamoque ministrat
 84 et forma intoleranda et pictis alta cothurnis,
 85 quos illi suit ex auro miniosus Aluntas,
 86 blanda tamen facilisque et amata ad munera comis.
 87 Mille adsunt huic deliciae et bona commoda ruris ;
 88 una mihi invidiae est cornix, cui noctua Bauli
 89 cesserit atque oculis Sabuloni gracculus albis.
 90 Haec et : "Have formosa et hera o mihi cara" salutatur,
 91 observansque fores : "Quis, ait, nunc hostia pulsatur ? "
 MACRON
 92 Cedam ego turturibus nigris nostraeque columbae,
 MACRON - LEPIDINA
 93 sitque semel vidisse deam. - Vel cesseris alno,
 94 ad quam defossi centum illi ex aere trientes
 95 servantur. Nunc illa domi parat anxia lactis
 96 candentem florem misto et cum melle farinam,
 97 mox subigit succincta sinum, nudata lacertos
 98 praestringit violas albas et lilia cana.
 99 Parthenope tum culta manus miratur : ibi illa
 100 lacteolas et thyrsiculos et oluscula signat,
 101 inde latet forma nimiumque et dote superba.
 102 Verum age et hoc, conjux, (fas est) requiesce sub arcu ;
 103 nam defessa traho vix genua, et inepta canistri
 104 sarcina me gravat, et clivo sudavimus ambo,
 105 nuper et hic cecinisse ferunt Meliseon et aegras
 106 solantem curas nec mitia fata gementem
 107 Phosphoridos natae : en hic e turribus altis
 108 fistula dependet, saevi monumenta doloris,
 109 signaque certa manent, numerique per ora feruntur :
 110 "Phosphori nata, quis heu, quis te mihi, Phosphori, ademit ?
 111 O mecum, o salices, mecum o lugete, myricae."
 MACRON
 112 Quin, age, pone et onus, et membra labore relaxa,
 113 jam gravida es, Lepidina, et honus grave languida defers.
 114 Hac quoque pompa venit, via nec capit ipsa Napaeas ;
 115 hic licet et spectare una et requiesce sub umbra.

POMPA QUINTA. COLLOQUUNTUR MACRON ET LEPIDINA; PLANURIS SUPERVENIT,
 QUAE POMPAM HEROUM AD NUPTIAS CONVENIENTIUM DESCRIBIT

MACRON
 E1_06 v.1 Huvidula est, quae prima venit, sed et una rosetum
 2 fert Pesti, fert et violas haec una Vesevi,
 3 fuscaque roscidaque et venosis lactea mammis.
 LEPIDINA
 4 O conjux, prima haec, prima haec ne despice quantum

5 et calamis valet et cantu, verum una videri
 6 non formosa cupit, luxum aspernata procosque,
 7 asparago gaudet fungisque operosa legendis,
 8 quos et herae, quos et matri dimittat in urbem.
 9 O mihi cara soror (potes et soror ipsa vocari),
 10 dic, age, qui comites, quos et ducunt hymenaeos,
 11 Planuri o generosa soror Leucogidis albae.

PLANURIS

12 Descendunt, soror, et nemora, et cava flumina currunt
 13 ad thalamos, mille antra deos vomuere, et ab altis
 14 montibus indigenae Fauni proteruntque ruuntque
 15 ad portas ; iter ingentes non explicat Orcos,
 16 quos Acherusiaca fauces, nova numina, mittunt,
 17 stagnaque Baulorum, quos hostia pinguis Averni
 18 emisere adytis lacus et fluitantis Araxi.
 19 Mira illis sunt ora, soror, radiantia fronti
 20 lumina, sulfureis fumus de naribus efflat,
 21 tempora per serpunt rami mentoque rigescunt
 22 hircosae setae ; tum guttura collaque circum
 23 squalent sulfureae totoque in pectore crustae,
 24 caetera membra nigror merus occupat et situs et nox.

PLANURIS - LEPIDINA

25 Me miseram, hi ne etiam ? Procul, ah procul. - O mea, siste
 26 ad cryptam ; ferratus adest Aeronius, adsunt
 27 tercentum rapidi Umbrones totidemque molossi.
 28 Ipsi abigent tecti colla et longa ilia ferro,
 29 ore latrant, saevum valeant qui inhibere Typhoea ;
 30 moverat Aenaria ferus hic, et monte revulso
 31 raptabatque iter et litus pede celsus obibat,
 32 intrabatque antrum : ecce Acron, ecce aspera proles
 33 Lancusi Pelicon et Marsicus Armillatus
 34 deturbant antro et femori cava vulnera figunt ;
 35 ille per extremas praeceps vix effugit undas.

LEPIDINA

36 Et fessa es, mea Planuri, et liquidissimus amnis
 37 it subter, sitiendi et aquas et pocula promam ;
 38 proximaque Uranie scortum et sua poma paravit,
 39 quae mihi cara soror forma prior et prior annis,
 40 quodque vides, summa procul innuit alta fenestra.

PLANURIS

41 Assideo, Lepidina, et poma et pocula sumam :
 42 mox tibi et heroas referam summosque Oriarchas,
 43 quos mirere, soror, simul et vereare superbos.
 44 Primus agit pompam Gaurus cum conjuge Campe,
 45 ingentemque manu pinum fert ; pendet ab alta
 46 hinc leporum grex, inde anatum, post ordine longo
 47 et damae capreaeque et aper Leboride silva,
 48 et perdix nemore e Clanii et Vulturinus anser,
 49 Ardeaeque fuliceque et grus Lucrinide ab alga.
 50 Ipse ebulo pinxitque genas et pectora gypso.
 51 At Campe asparago crines redimita virago
 52 frondentem a radice alnum fert strenua, ubi omnis
 53 pendet et autumnus matura et fructibus aestas,
 54 pomaque praecoquaque et auro certantia mala,
 55 et viridi cum fronde pira, atque Cydonia cana :
 56 per medios volitant ramos merulaeque hululaeque,
 57 pippilat et passer, et dulce canit Philomele.
 58 Ursulon insequitur frontem insignitus echino,

59 ipse humeris pedibusque ingens et cornibus ingens ;
60 cornibus ingentes nutanti pondere cistas
61 castanea e molli sorbisque virentibus, idem
62 fert humero crumenam nucis et mulctralia lactis,
63 fert lateri geminas immani ventre lagenas
64 sorbino e bimo atque ex anniculo viridisco,
65 et dextra hinnuleos querula cum matre gemellos.
66 A leva conjux felici prole Marana
67 laeta canit ; sociae plaudunt ad carmina nymphae.
68 Ipsa favos ac mella simul macerumque lupinum
69 plurimaque in nitidis fert ova recentia qualis,
70 haec illa est felix et conjuge digna Marana,
71 docta et acu, docta et lino, doctissima lana :
72 dos illi ingentes tercentum ad sidera quercus,
73 tercentumque nuces, quarum tria jugera campi
74 brachia protendunt, mille et cum vitibus alni,
75 tercentumque suum armentum, et nemus undique cinctum
76 arbuteisque comis et nucliferis pinetis,
77 et quae se multa circumtegit aesculus umbra.
78 Hunc post incedit lentis Misenius heros
79 passibus, ipse senex, juvenum sed viribus usus.
80 Vectibus hi sublatum alte per brachia cetum
81 attollunt, caudaque iter et vestigia verrit
82 immanis fera et informi riget horrida dorso,
83 tum quassat caput et minitanti tergore nutat ;
84 faucibus ac tenebras simul et vomere, et simul ipsa
85 visa lues pelagusque haurire atque hiscere caelum :
86 occurrunt, trepidoque sinu sua pignora celant
87 attonitae matres : pavor hinc, hinc plausus euntum.
88 Ipsa viam sibi, qua gressum fert, bellua pandit,
89 at tubicen vocat urgentem ad spectacula turbam,
90 cantantis longe ingeminant nemora ardua murmur :
91 "Pastores tellure sati gensque eruta sulcis,
92 monstra cavete maris scopuloso et tergore cetum ;
93 vulnerat et cauda insidians et devorat ore.
94 Vos, juvenes, celerate iter et vim afferte lacertis."
95 Haec tubicen, turba ingenti clamore salutat
96 Sebethon : "Nove nupte, nuces para et indue vestem,
97 quam tibi Acerranae musco flavente Napaeae
98 neverunt, quam pinxit acu Pomelia, ut imo
99 fronderet limbo patulis satureia ramis,
100 sibilet ut tenui de fronde locusta susurro,
101 indue et intextum buxo frondente galerum."
102 in medio telas operosa observat Arachne
103 disponitque manu, volitantem et captat asilum ;
104 ille fugam parat, ast tenui interceptus amictu
105 implicitatque pedes et passis instrepat alis,
106 Lydaque de tacito prodit tum turgida nido.
107 Hunc justa conjux Prochyteia incedit et ore
108 et gestu spectanda et pictae tegmine pallae ;
109 nexilibus cochleis limbus sonat, horrida echinis
110 zona riget, viridique sinus frondescit in alga.
111 In manicis querulae ludunt per flumina ranae,
112 cum subito extremas interstrepit anser ad ulvas,
113 tum linguunt mediis convicia rauca sub undis
114 attonitae, inde cavos referunt ad carmina rictus,
115 raucaque limosae meditantur murmura ripae.
116 Auribus hinc oriens radiat sol, splendet at illinc

117 Luna pruinosis incedens candida bigis.
 118 Ipsa manu speculum dextra fert, cujus in orbe,
 119 cum sese gemino inclusit Latonia cornu,
 120 nocte quidem insidias Satyrorum artesque procaces
 121 detegit et cautis aperit nova furta Napaeis :
 122 illae iter occulto rapiunt per devia passu.
 123 Luce autem, cum sol speculo diffulsit, ibi omnis
 124 cernere erit curas et facta infida virorum,
 125 quique paret thalamo fraudem litemque maritus.
 126 Hoc fertur dominae rarum ac memorabile donum,
 127 quo secura sui tueatur foedera lecti.
 128 Claudicat hinc heros Capimontius, et de summo
 129 colle ruunt misti juvenes mixtaeque puellae.
 130 Omnis amat chorus et juncti glomerantur amantes ;
 131 is lento incedit passu baculoque tuetur
 132 infirmum femur et choreis dat signa movendis,
 133 assuetus choreae ludisque assuetus amantum.
 134 Has inter mihi nota Marillia cantat : "Ad alnum
 135 cogite oves, amat alnus, amant dominique gregesque."
 136 Responsant : "Amat alnus, amant dominique gregesque."
 137 Sparguntur passim e calathis violaeque rosaeque,
 138 et cava Maenalios suspirat tibia versus.
 139 Praecedit gravidis bis septem onerata canistris
 140 pompa puellarum, pendent mantilia circum
 141 alba quidem, croceis sed flavescencia villis ;
 142 cuique suus comes haeret amans, cui corniger agnus
 143 ex humeris grave pendet onus, sua fistula cuique,
 144 plaudit et arguta de valle canentibus echo :
 145 "Sparge tuas, Sebethae, nuces, en colligit uxor ;
 146 Parthenope, tua poma sinu (vir seliget) effer."
 147 At juvenum manus usa humeris et pectore anhelans
 148 ingentes taurorum armos, ingentia aprorum
 149 corpora subvectat duplici pendentia conto,
 150 bis septem capita hirta albis nutantia sannis.
 151 Ingeminant plausus, et vox sonat : "Exue, nupta,
 152 exue gausapinas et nudo corpore ramum
 153 excipe, puniceo praefert quem cortice conjux.
 154 Exue gausapinas, conjux, ramoque valenti
 155 sterne aciem, clausis uxorisque ingrue portis
 156 comminus arma ciens, telumque in sanguine tinge."
 157 Fescennina crepant latis convicia campis.
 158 At lino felix felixque Ansatia fuso
 159 ostentat rarum decus ac variabile textum,
 160 Costalionis opus, telaeque insigne decorum.
 161 Hinc illinc fluit amnis opacaeque ripa virescit
 162 margine cincta suo ruptisque immurmurat undis ;
 163 apparet certo tenuis sed semita calle,
 164 qua nigrum formica agmen trahit ordine longo,
 165 festinant aliae, ut plenos populentur acervos,
 166 illa redit raptio grava, atque e pondere fessa
 167 invitat sociam in praedam, ac sese ore salutant,
 168 pars condit terrae atque hiemi male credit iniquae ;
 169 emicat agmen agens segetique infertur abactae,
 170 ut nunc jam videas, nunc jam vidisse putaris.
 171 In medio positis clauduntur ovilia saeptis,
 172 balat ovis vacuum ad mulctram et se calce tuetur,
 173 opilio at geminis sudans premit hubera palmis ;
 174 effluit hinc illinc tepidus liquor, adjuvat uxor,

175 blanditurque viro mulgetque incincta capellam,
 176 et cava fumanti spumant mulctralia lacte ;
 177 filia parva focum bucca excitat, effurit intus
 178 lactea vis, florem inde legunt trepidantis aheni ;
 179 post, ubi concrevit liquor ac deferbuit humor,
 180 tunc parco sale contingunt honerantque canistris,
 181 decoctusque novo lentescit caseus orbe.
 182 Circumstat pecus ignavum fucusque culexque,
 183 quos fumo puer aut ramo frondente coercet
 184 sedulus. Ipsa suo variatur tela colore,
 185 egregium dominae quondam ac memorabile munus.
 186 Non arbor frondosa cavis sic vallibus, hortis
 187 sic mediis protenta cucurbita, non adeo grex
 188 altilium dum scalpit humi sequiturque parentem
 189 oblectant oculos et corda liquentia mulcent :
 190 tale decus telae, talem praescribit honorem.
 191 Hos ego, cara soror, vidi novique Oriarchas.
 192 Murronem fama est cum conjuge Tifatea
 193 adventare etiam et centum properare quadrigis,
 194 ilice frondentem caput et colla ilice cinctum ;
 195 hunc centum ciceris grumos totidemque phaseli
 196 convectare fabaeque ingentes volvere acervos
 197 horreaque annosae cereris ; tumpraela trecenta,
 198 et vini fontem atque lacus Lenaeidos undae
 199 curribus effluere, stagnare liquoribus arva
 200 Baccheis, ipsum ex alta fluitare Caserta
 201 Euchion, in laticemque Lyaeum abiisse Casoram.
 202 Uxorem vero assuetam Marcinida soli
 203 et lini cultricem olerumque et cannabis, illam
 204 et properare iter et rhedas agitare volantes.
 205 Ne qua sit thalamis per se mora, ne, mea, ne tu
 206 crede aliam, seu vere fabis, aestate phaselo
 207 fortius insudare atque invigilare colentem.
 208 Ipsa et acu insutas vestes junco atque genista
 209 dat dominae, ipse et crateras novum opus Faberontae
 210 legit herae et triplicem palmae de fronde coronam,
 211 fictiliumque operum decus immortale mitellam
 212 intinctamque croco et frondenti baccare cinctam.
 213 Et mihi juncta fide et ceparum Pulvica cura
 214 hoc et idem mea Panicoclis studiosa lupini
 215 adventare refert socia cum gente Vesevum,
 216 oblitum cladisque suae veterumque malorum,
 217 finitimosque heroas, et alta ex arce Cicalae
 218 hircosum Capreonem hirco nymphaque creatum
 219 succinctum rapis et amictum tempora porro.
 220 Curribus hunc corbes atque horrea avellanarum
 221 devehere, ipsum huda referentem carmen avena :
 222 "Rura meam te, Amarylli, tenent, ego vector in urbem ;
 223 dum redeo simul et peponos cole et allia velle.
 224 Ex urbe, o Amarylli, tibi nova munera porto,
 225 fusosque flavamque colum pictosque cothurnos."
 226 Alternant socii atque iterant nova carmina valles :
 227 "Nos dominae siliquas et corna rubentia, felix
 228 oscula Sebethus feret et feret oscula virgo.
 229 Nos ferimus dulcem peponum et melimela beatissimis ;
 230 hi peponum et melimela legent thalamoque toroque."
 231 Ipse autem monte e summo sua dona Vesevus
 232 devectat trivium ad vetus Artusique macellum,

233 invectusque asino spargit sua munera plebi
 234 delicias ruris, post et digitalia et aptos
 235 verticulos fuso et tinnuleas volsellas.
 236 Plebs plaudit, varioque asinum clamore salutant,
 237 brassiculisque apioque ferum nucibusque coronant.
 238 Mox vecti gravibusque rotant vinalia contis
 239 plena horno, plena et bimo nitrata quadrimo ;
 240 illa ruunt, ipse ex asino sua munera laudat,
 241 laudantem plausu sequitur vesuina juvenus,
 242 dissultantque cavae, favet et de vallibus echo.
 LEPIDINA
 243 Qua facie, mea Planuri, quo est ore Vesevus ?
 PLANURIS
 244 Porticia hoc mihi fida comes narrare solebat,
 245 Carmeli simul ad fontem dum rapa lavamus :
 246 ventre quidem modico, at medio de pectore gibbum
 247 protendit, quanta est Baviae cretatilis olla,
 248 qua miscet suibus pultes farcitque catinum ;
 249 quodque pudet, nullas res hic habet et caret illis,
 250 pro quibus intumuit cucumis niger ; inde Napaeae
 251 hunc rident, rident et Oreades ; ille superbum
 252 nutat et inflexo quassat nigra tempora cornu,
 253 quod longe horrescit setis hinc inde reflexis.
 254 At calvum caput, et nullo vestitur amictu ;
 255 stant mento sentes, horrentque ad pectora dumi.
 256 Ah vereor, soror, et dicam tamen : hujus ab ore
 257 curvantur geminae sannae, quarum altera pontum
 258 tetra petit fluctusque ferox et litora verrit,
 259 altera Sarastris fauces, saxa horrida Sarni,
 PLANURIS - LEPIDINA
 260 ac tantum non... - Ah soror, ah mea, desine et istos
 261 enarrare Oriarchas : en venit aurea pompa,
 262 en cultae Dryades, comptae quoque Oreades adsunt,
 263 et choreas agitare pares et dicere versus.

POMPA SEXTA. DRIADES ATQUE OREADES ALTERNIS CONCINUNT;
 MACRON ET LEPIDINA COLLOQUUNTUR

DRYADES
 E1_07 v.1 Turturibus si certa fides certusque columbis
 2 est amor, at variat non mutuus ardor amantum.
 OREADES
 3 Turturibus si certa fides certusque columbis
 4 est amor, et thalami sunt vincula certa mariti.
 DRYADES
 5 Fert filicem desertus ager, male cultus et hortus ;
 6 non filicem bene aratus ager, non cultior hortus.
 OREADES
 7 Non rixam cultus thalamus, non culcitra litem ;
 8 fert pacem thalamus cultus, fert culcitra somnum.
 DRYADES
 9 Somne io, pax dulcis io, cantate, puellae.
 OREADES
 10 Oscula io, amplexus et io celebrate, sorores.
 LEPIDINA
 11 Has, conjux, mea Planuris sat novit ; at illam

12 nosse nequit mea fida comes, mihi cara Patulcis
 13 culta comam, succincta sinus et candida pectus,
 14 quaeque etiam roseo ver ipsum spirat ab ore.
 MACRON
 15 Talis eras, cum te primum, Lepidina, sub ulmo
 16 cantantem vidi, croceis sic ipsa cothurnis
 17 saltabas, sic ora rosas, sic colla ligustrum
 18 florebant ; memini numeros et verba canentis :
 19 "Urit me Macronis amor Neside creati."
 LEPIDINA
 20 Ipse refers, patula cantat meus ignis ab ulmo,
 21 ulmus amor Macronis, amor Macronis ab ulmo.
 22 Alter erat croceus, alter tibi calceus albus,
 23 cingebat crines frondoso e subere ramus,
 24 et primo tonsore tibi nova barba nitebat.
 MACRON
 25 Ipsa canis, querulae rumpunt tua verba cicadae,
 26 et dixti : "Nec amant et sunt sine amore cicadae."
 LEPIDINA
 27 ipse arcu querulas stringis de fronde cicadas,
 28 et dixti : "Querulae rumpant nunc verba cicadae,"
 29 ut sese ad choreas, Macron, movet apta Patulcis,
 30 et niveis suris nigrisque Patulcis ocellis.
 MACRON
 31 Sic memini, niveas nudasti tum mihi plantas,
 32 ad fontem cum fessa lavas ; ego condor in ulva.
 LEPIDINA
 33 Ipsa canit formosa Patulcis, amatque Patulcis ;
 34 me miseram, ut tristes surgunt ad tempora rugae.
 PATULCIS
 35 Parthenope Sebethon amat, Platamonis Halantum,
 36 utraque nympa suum tenet et fovet utraque amantem ;
 37 sola Patulcis amans, sola est sine amante Patulcis.
 38 Illum Nisa tenet deserti ad litoris algam
 39 nigra genu croceisque genis et lumine glauco :
 40 alba genu roseisque genis et lumine nigro
 41 oreque puniceo maeret deserta Patulcis,
 42 exspectatque deae non seram vindicis iram,
 43 et venit ad choreas, nec jam desperat amantem.
 44 Nisa, meum tandem reddes mihi, Nisa, Nivanum.
 MACRON
 45 Ut languet formosa et amari digna puella.
 46 Et sua furta mihi narravit saepe Nivanus ;
 47 Nisa illum studiis avium ad sua litora traxit.
 48 Tu modo fac viridem Ligurim de conjuge Pansae,
 49 (deperit hanc juvenis) nunc hoc age perfice, conjux,
 50 conjuge de Pansae dono ferat ipsa Patulcis.
 51 Non mora, quin retrahat celerem in sua vota Nivanum,
 52 ipsa Patulcin adi, cura est mihi adire Nivanum.
 LEPIDINA
 53 O conjux, o Macron, ego hoc pro munere jam scis,
 54 scis tibi quid referam ; referet sua dona Patulcis.
 MACRON
 55 Ecce venit formosa, venit decus heroinon,
 56 et myrto dives serpillisque inclyta virgo,
 57 clara thymo longequae etiam clarissima melle
 58 Antiniana. Ruunt hujus fama undique amantes,
 59 et bona pars sine dote petunt connubia nymphae.

60 Ipsa seni blandita, senem cupit, hujus ab ore
 61 et choreas agit, et carmen meditata per hortos
 62 laeta canit ; stupet ad saepem mirata juvenus.
 63 Hinc sola incedit passuque elata superbo,
 64 invitaturque senem et suspiria ridet amantum.
 MACRON - LEPIDINA
 65 Nec nosti, Lepidina, deam ? - Quin, o mea cura,
 66 (nondum notus eras) sensi sub rupe canentem.
 67 Prima illi vox : "Eurydice, meaque optima conjux,
 68 Eurydice, mihi solus amor." Tum verba notavi,
 69 nunc numeros memini, quid amor jam denique sensi ;
 70 quid sit amor, quid hymen, quid sint connubia nosco.
 MACRON
 71 Est illi sepostum opus artificis Melidoxi
 72 fistula, sunt numeri intacti cantoris Hymellae :
 73 despicit hinc et oloris avenam et carmina cygni.
 74 Tum septem nitidae sunt praesto ad munera nymphae,
 75 sedulaque Uranie scenam atque umbracula tendit.
 76 Illam non alias hederæ cinxere virentes
 77 aptius, aut roseis insedit fistula labris ;
 78 quin numeros meditata canit nova carmina virgo.

POMPA SEPTIMA. ANTINIANA, HYMENAEUM CELEBRANS, FELICITER OMINATUR;
 IUVENUM AC PUELLARUM CHORUS RECINIT;
 MACRON AC LEPIDINA COLLOQUUNTUR

ANTINIANA
 E1_08 v.1 Dicite io, juvenes, et io geminate, puellae.
 2 Hesperus adveniet fausto cum sidere, nymphae
 3 qui referet thalamos, qui vincula nectat amantum.
 4 Dicite io, juvenes, et io geminate, puellae.
 CHORUS
 5 Dicimus : o Hymenæe, o Hymen, Hymenæe.
 ANTINIANA
 6 Hesperus adveniet, socii qui foedera lecti,
 7 qui statuat leges, qui deducat Hymenaeum.
 8 Dicite io, juvenes, et io geminate, puellae.
 CHORUS
 9 Dicimus : o Hymenæe, o Hymen, Hymenæe.
 ANTINIANA
 10 Hesperus adveniet cari desponsor amoris,
 11 qui teneros lusus et muta gaudia monstret.
 12 Dicite io juvenes, et io geminate, puellae.
 CHORUS
 13 Dicimus : o Hymenæe, o Hymen, Hymenæe.
 ANTINIANA
 14 Interea, adveniet dum Vesperus aureus, et dum
 15 flameolum et roseos Hymen parat ipse cothurnos,
 16 omina dicamus thalamo Geniumque citemus.
 17 Gausapinas virides, nova nupta novusque maritus,
 18 induite et viridem capiti geminate coronam ;
 19 sint vobis anni virides viridisque juvenus,
 20 et virides horti sint et viridantia rura.
 21 Dicite : "Io, sic fila neunt, sic stamina volvunt."
 CHORUS
 22 Euge io, sic fila neunt, sic stamina volvunt.

ANTINIANA

23 Nascetur proles heroo sanguine digna,
 24 altera, quae tauros domet et sciat ordine plantas
 25 disserere et lentam in quincuncem ponere vitem,
 26 felix et pratis et felix ubere terrae.
 27 Dicite : "Io, sic fila neunt, sic stamina volvunt."

CHORUS

28 Euge io, sic fila neunt, sic stamina volvunt.

ANTINIANA

29 Altera, quae telas cum pectine ducat eburno,
 30 discernatque et acu silvas et flumina ducat,
 31 et fuso docilique manu ingeniosa propago.
 32 Dicite : "Io, sic fila neunt, sic stamina volvunt."

CHORUS

33 Euge io, sic fila neunt, sic stamina volvunt.

ANTINIANA

34 Nascentur heroes et heroum inclyta pubes,
 35 ac litibusque sparoque verutisque apta juvenus,
 36 qui monstra Oceani, qui saxicolos Tritones
 37 avertant terrae Sirenum et litora servant.
 38 Dicite : "Io, sic fila neunt, sic stamina volvunt."

CHORUS

39 Euge io, sic fila neunt, sic stamina volvunt.

ANTINIANA

40 Nascetur qui Mopso et faunigenis Meliboeis
 41 dent jura, et gregibus saltus et pascua monstrent,
 42 ipsi pastorum reges pecorumque magistri.
 43 Dicite : "Io, sic fila neunt, sic stamina volvunt."

CHORUS

44 Euge io, sic fila neunt, sic stamina volvunt.

ANTINIANA

45 Nascetur qui longinquis procul advena terris
 46 haec adeat pastor pauper loca, cujus ab ore
 47 arida vicini resonent et saxa Vesevi,
 48 ipsae quem pinus, ipsa haec arbusta vocabunt.
 49 Ille alta sub rupe canet frondator ad auras
 50 pastoris musam Damonis et Alphisiboei :
 51 illi concedant hinc Tityrus, inde Menalcas,
 52 alter oves, alter distentas lacte capellas,
 53 et mirata suos requiescent flumina cursus,
 54 Damonis musam dum cantat et Alphisiboei.
 55 Dicite : "Io, sic fila neunt, sic stamina volvunt."

CHORUS

56 Euge io, sic fila neunt, sic stamina volvunt.

ANTINIANA

57 Nasceturque alius longo post tempore pastor
 58 advena et ipse quidem, proprii sed consitor horti ;
 59 ausit et hic tenerum calamo trivisse labellum.
 60 Hunc et Damoetas et amabit lyctius Aegon,
 61 alter oves niveas dono dabit, alter et hedos.
 62 Hic pascet niveos herbosa ad flumina cygnos,
 63 misceat ipsa suos pascenti Amaryllis olores ;
 64 hic et populea vacuus cantabit in umbra,
 65 Uranie intactam cantanti junget avenam,
 66 et cantum argutae referent ad sidera valles.
 67 Dicite : "Io, sic fila neunt, sic stamina volvunt."

CHORUS

68 Euge io, sic fila neunt, sic stamina volvunt.

ANTINIANA

69 Succedentque alii Damones et Alpheisiboei,
 70 quique etiam tenui musam meditentur avena
 71 pastores hedera insignes et arundine clari.
 72 O mihi tum, ut choreas agitare et dicere versus,
 73 compositique senis mutae applausisse favillae,
 74 ut juvet et notam tumulo instaurare querelam :
 75 ipse senex tacita positus laetabitur urna.
 76 Dicite : "Io, sic fila neunt, sic stamina volvunt."

CHORUS

77 Euge io, sic fila neunt, sic stamina volvunt.

ANTINIANA

78 Dicite : "Io Hymenaeae, io Hymen, Hymenaeae."

CHORUS

79 Dicimus : o Hymenaeae, io Hymen, Hymenaeae,
 80 Io Hymen, Hymenaeae Hymen, Hymen Hymenaeae,
 81 felix o Hymenaeae, Hymen felix Hymenaeae.

LEPIDINA

82 O Macron, nympha haec lepido ut sermone locuta est ;
 83 illi mel labris, favus illi stillat ab ore.

MACRON

84 O conjux, nympha haec longe est ditissima melle,
 85 centum habet haec apium tabulata, examina centum.

LEPIDINA

86 Nunc agedum, ad thalamos properat namque undique pompa,
 87 quae Macron domino, dominae Lepidina loquamur
 88 conveniat, namque illa et forma et dote superbit.
 89 Dos illi centumque boves totidemque juveni,
 90 tercentum simae cyrnea matre capellae,
 91 cornigerique hedi totidem, quis fronte sub hirta
 92 albescunt maculae, sunt caetera corpora fulvi,
 93 custodes gemini arctoa de gente Lacones,
 94 mille Teatinis errant quae montibus agnae ;
 95 praeterea decus illud inenarrabile textum
 96 frondentis zonae cerasi de cortice nexae
 97 aurato et junco et purpureis viburnis,
 98 e cujus medio pandens avis altilis alas
 99 et scalpit terras et pullos evocat ore :
 100 illi triticea tingunt sua rostra farina,
 101 mox fovet abductis saturos sua mater in alis,
 102 Ergo quid domino, dominae quid uterque loquamur,
 103 dic, Macron, sua verba suo sint munere digna.

MACRON

104 Qui tuus est et ubique comes, lepor adsit et ipse
 105 cum primis, Lepidina, tibi et venus illa loquenti.

LEPIDINA

106 Rura lepos meus is, conjux, colit, effugit urbem,
 107 forsitan et dominae risum movisse juvabit.

MACRON

108 Suavia sint quaecumque feres, Lepidina, memento.

LEPIDINA

109 Quin etiam geminata illi simul oscula tradam.

MACRON

110 Sic dices : "Cape, nympha, bonum, qui me urit, amorem,
 111 obbam lactis et haec fumanti farta canistro ;
 112 tercentumque illae cyrnea matre capellae,
 113 mille Theatinis errant quae montibus agnae,
 114 bis gravidae fiant anno bis et hubera tendant."

115 Sic dicam : "Sume hos culto de margine fructus,
 116 qui tibi notus amor nostri matrisque patrisque,
 117 cornigerique illi geminos de conjuge foetus
 118 suscipiant fronte albentes et tergore fulvos ;
 119 ipse mares videas uno de ventre gemellos,
 120 sis Macron illi, illa suo Lepidina Macroni."
 121 haec nos, et properemus, et hostia celsa petamus.

II MELISEUS A QUO UXORIS MORS DEPLORATUR. COLLOCUTORES CICERISCUS ET FABURNUS PASTORES

CICERISCUS

E2_01 v.1 Hic cecinit Meliseus et haec quoque signa doloris
 2 servat adhuc corylus : "Vidi tua funera, conjux ;
 3 non, o non perii" ; caesoque in cortice signat
 4 populus : "Ah moriens morientem, Ariadna, relinquis."

FABURNUS

5 Pro facinus, tantumne tibi, Melisaeae, dolorum ?
 6 Cui modo convallesque cavae saltusque querenti
 7 reddebant : "Mihi te, quis te mihi, Phosphori, ademit ?
 8 O mecum, o salices, mecum o lugete, myricae."

CICERISCUS

9 vox illi gemitusque sonant Ariadnan, et antra
 10 responsant Ariadnan ; ibi miserabilis : "Eheu
 11 te sequor, o conjux", alta et de rupe sonantem
 12 deturbat, quae cara seni pendebat ab ore
 13 fistula, dumque cadit fluitans sua reddit arundo,
 14 et numeros et verba refert vocalis arundo :
 15 "Te sequor, o Ariadna, morare, Ariadna, sequentem."

FABURNUS

16 Ergo senta jacet spinosisque obsita dumis
 17 illa quidem et nymphis et Musis cognita avena ?
 18 Nec Corydon, nec Thyrsis eam, nec legit Amyntas ?

CICERISCUS

19 Quin legit, dum spirat adhuc sub rupe, Patulcis,
 20 et dixit : "Tibi, Daphni, tibi nova munera servo,
 21 cantabisque senem ad tumulum condesque sepulcro."
 22 inde levem calamum labris admovit et alto
 23 corde dedit gemitum cantusque effudit amaros :
 24 "Severat ipsa suo segetem cum conjuge et una
 25 purgarat valida segetem cum conjuge marra ;
 26 ipsa suo segetem cum conjuge falce secarat,
 27 et gravidos torta culmos religarat avena,
 28 contuderatque suo messem cum conjuge, et aurae
 29 jactarat fragilem socio cum conjuge aristam ;
 30 interea socio demulserat aera cantu,
 31 mox simul aestiva requierat fessa sub umbra,
 32 carpebatque leves caro cum conjuge somnos.
 33 Ah dolor, abreptamque toro avulsamque lacertis
 34 conjugis hanc rapuit volucris Proserpina curru,
 35 clausit et aeterno torpentia lumina somno.
 36 Lugeat hanc desertus ager desertus et hortus
 37 et deserta teges desertae et compita villae ;
 38 imprimis luge, labor, heu labor irrite, luge,

39 et marrae et segetes fraudataque praemia ruris
 40 et vanam sine fruge operam manuumque boumque.
 41 En squalent prata et sua sunt sine honore salicta,
 42 extinctamque Ariadnan agri, Ariadnan et ipsae
 43 cum gemitu referunt silvae, vallesque queruntur ;
 44 extinctamque Ariadnan iterant clamantia saxa,
 45 et colles iterant Ariadnan, Ariadnan et amnes.
 46 Conveniant hululae ad questus geminentque querelam,
 47 infelixque Ariadnan avis gemat ore sub imo ;
 48 ipse etiam querulae jungant suspiria frondes.
 49 Duxerat ipsa levi fuso subtegmen, et ipsa
 50 tenuia sub celeri versarat pollice fila ;
 51 ipsa sua studiosa manu glomerarat in orbem,
 52 atque hinc vimineis onerarat lecta canistris,
 53 dum tenui insertas orditur pectine telas,
 54 unde viro, unde et natis sua texta pararet,
 55 unde sibi cultumque sinum et mantilia cana,
 56 quis olus intactamque rosam deferret in urbem
 57 atque arae solitos verno sub tempore flores.
 58 Ah dolor, ah lacrimae. Verrentem licia et oras
 59 stringentem telae radiosque et fila trahentem
 60 occupat atra manu truncatque rigentia pensa
 61 immitis Lachesis, crinemque e vertice vellit
 62 purpureum, et furva circum caput horret in umbra.
 63 Quo radii ? Quo pensa ? Quis, o quis staminis usus ?
 64 Quo telae studium infelix ? Quo pecten et orsa ?
 65 O dolor, o lamenta. Gemat miserabilis, eheu,
 66 consuetus dominae turtur, consueta columba.
 67 Illa colum ducebat : ibi vestigia circum
 68 ludebant geminae volucres, ludentibus ipsa
 69 et cicer et tenerum spargebat blanda cuminum,
 70 mulcebatque manu. Gemat eu miserabilis, eheu,
 71 de trabe maesta sua nidumque relinquat hirundo.
 72 Dum telam stringebat et acre sonantia lina
 73 et cantu lenibat opus, tum flebilis ales
 74 jungebat socias lacrimoso carmine voces
 75 miscebatque modos. Gemat heu miserabilis, eheu,
 76 heu gemat infelix Liguris, cui grata petenti
 77 purgabatque nucem contusaque crusta liquabat
 78 mellis arundinei vitreum et de fonte liquorem.
 79 Ad gemitum coeant lacrimosi compita ruris,
 80 pastores Ariadnan, Ariadnan armenta querantur,
 81 extinctamque Ariadnan opacis buccula silvis
 82 cum gemitu testetur, et antra Ariadnan, et ipsi
 83 ingeminent montes Ariadnan, Ariadnan et umbrae.
 84 Claudite oves stabulis, stabulis cohibete capellas,
 85 formosae ruris natae inuptaeque puellae ;
 86 dum matres Ariadnan iterant, vos avia planctu
 87 implentes legite intactos et jungite flores
 88 et solis luctum et pueri lacrimantis amorem
 89 texite et abscissos Veneris de fronte capillos.
 90 Post, ubi : Io Ariadnan, io Ariadnan, et ipsum
 91 implestis clamore nemus, hunc addite honorem
 92 ad tumulum, pia verba acrem testantia luctum :
 93 pro fusoque colloque et vimineis calathiscis
 94 hos flores atque haec tibi sarta, Ariadna, paramus
 95 ad laurum, tumulo tibi quae jam crescit et ossa
 96 amplectens densa tumulum mox conteget umbra :

97 pro lino telaque et pro subtegmine et orsis
 98 has lacrimas, Ariadna, atque haec tibi dona vovemus ;
 99 en lactis florem ad tumulum et redolentia mella,
 100 placamusque pios manes et condimus umbram,
 101 Aeternum et valeas, Ariadna, aeterna valetō.
 102 Nebat acu tunicam nato indusiumque puellis,
 103 fundebatque manu latices. Dum pingit ab urna
 104 spargentem Sebethon aquas, dum labitur amnis,
 105 per salices strepit et ripis frondentibus aura,
 106 murmurat et tenui decurrens lympha susurro ;
 107 ipsa sua lucem dextra insignibat, et auras
 108 spargebat flammis, radiisque micantibus atras
 109 pellebat tenebras, primo ut sol splendet Eoo
 110 fulgidus et tremulis intermicat ardor in undis.
 111 Ah dolor, ah gemitus : fleat, o fleat excita silvis
 112 esculus, et durae veniant ad funera quercus.
 113 Format acu dum quercum, et mollibus aesculus umbris
 114 dum surgit viridans, procul, ah procul ingruit acta
 115 tempestas Erebo, vellit quae funditus altam
 116 et quercum et fractis discinditur aesculus umbris,
 117 et tunicam et tantos secum rapit Auster honores ;
 118 inde repens lucem nos occupat, occidit et sol,
 119 et radii ; ipsa novis Ariadna offusa tenebris
 120 caligat nocte obscura et circumdatur umbra.
 121 Crudeles radii, quo lux, quo purpureus sol,
 122 crudelisque dies ? Mecum, o mecum ite, puellae,
 123 ad luctum, mecum ite, deae, mecum ite, sorores
 124 Naiades, quibus illa choros jungebat et una
 125 nudabat liquidis argentea membra sub undis ;
 126 huc, sociae Dryades, simul et celerate, Napaeae,
 127 umbrarum memores choreaeque in montibus actae,
 128 et questus geminate et amarum intendite luctum.
 129 Sol obiit, tenebrae exortae : non pabula rorem,
 130 non imbrem sitiunt segetes, non culta liquorem ;
 131 in lacrimas abeant rores imberque liquorque,
 132 unde fluant queruli lacrimoso margine rivi,
 133 murmuraque ipsa sonent Ariadnan, Ariadnan et ipsi
 134 suspirent cursus, udaeque querantur arenae.
 135 Lux periit, tenebrae offusae : jam robora frondes
 136 excutiant foliisque leves spolientur et alni,
 137 ipsa, comas, laurus tristesque, avellite, myrti ;
 138 dum frondes foliisque comae miscentur, et auris
 139 huc illuc agitantur, et excitus instreper aer,
 140 ipse aer, ipsae frondes, folia ipsa comaeque
 141 dum volitant, strepit et miseris conquestibus aura,
 142 triste fleant Ariadnan, impulsaque saxa resultent
 143 flebilibus numeris Ariadnan, Ariadnan, ut ipse,
 144 ipse senex renovet luctus et prodeat antro."
 145 finierat, lacrimisque genas atque ora Patulcis
 146 laverat ; hic miserae comites et pectora duris
 147 planxerunt palmis, et saxa sonantia longo
 148 implerunt clamore et femineis lamentis.
 149 Tum senior gemitum ingentem dedit et scidit albam
 150 caniciem, simul hos effudit pectore questus :
 151 "Arescat mihi ros et apes sua mella negarint,
 152 non, o non mihi cara favos quae deliquet uxor :
 153 torpescant flores, pomum mihi deneget arbos,
 154 non, o non mihi poma manu quae seligat uxor :

155 squalescat seges et messem mihi culta negarint,
 156 non, o non cererem mihi quae mea ventilet uxor :
 157 arescant horti, frugem mihi deneget hortus,
 158 non olus o mihi quae, non quae mea tondeat uxor :
 159 torpescat focus atque ignes focus ipse negarit,
 160 non, o non mihi farra foco quae torreat uxor :
 161 dispereant fontes et aquas mihi deneget amnis,
 162 non, o non latices mihi quae mea misceat uxor :
 163 triste ruat caelo excidium pecudi atque capellae,
 164 non fetum dent armenta aut mulctralia succum,
 165 non, o non mihi lac quae cara coegerit uxor :
 166 infelix caelo exitium ruat, ut neque lanam
 167 vellera dent, nullae veniant ad licia telae,
 168 non, o non mihi texta manu quae neverit uxor :
 169 dira lues caelo ruat, et ruat altus Olympus
 170 stragem agris, stragem arboribus, terraeque ruinam
 171 det super, et mediis tellus internatet undis,
 172 non uxor mihi cara domi, quae sarcula curet,
 173 non falcem quae acuat messi lignisque securim,
 174 non socia gratorum operum consorsque laborum,
 175 non, heu, quae defecta senis locet ossa cubili,
 176 cantanti non quae numeros et verba ministret,
 177 pulsantem non quae digitis juvet et juvet ore,
 178 non oculos quae claudat amans donetque capillis
 179 extinctum et lacrimis decoret miseranda sepultum,
 180 quae memor aeternumque vale, vale ad hostia dicat."
 181 haec Meliseus, et antro sese condit opaco ;
 182 ex illo latet, et cura tabescit et annis.
 183 Forsan et ipsa, Faburne, dies solabitur aegrum,
 184 mitescetque malum, nec tanta silentia frustra.
 185 Nuper ad extremam, foribus quae proxima, myrtum
 186 non expressa quidem tamen est vox reddita : "Lauri,
 187 este mei memores ; fontemque inducite lauris,
 188 Naiades mihi cultae, et solem arcete hyacinthis."
 FABURNUS
 189 Nuper et ad veteres citrios, dum tondet anethum
 190 uxor, et ipse simul mentam atque sisymbria purgo,
 191 suspirantem illum et querula cum voce ferentem
 192 intenti accipimus : "Longum o defleta, quid umbra
 193 nec mihi nocte venis, nec amica occurris imago ? "
 194 Huc aures, Cicerisce : vides quid corvus ab ipso
 195 impluvio, consuetus heri ploratibus ales,
 196 quid corvus secum incrocitet, meditetur et ore :
 197 "Et manes meme fugiunt et vita gravatur ;
 198 cur, o cur nostri non vos quoque poenitet, aurae ? "
 CICERISCUS
 199 Quin aures veterem ad postem, qua janua hiulca est,
 200 admoveo ? Ipse sub haec coryleta, Faburne, maneto.
 FABURNUS
 201 An potius, qua lotos et alticomae cyparissi
 202 triste gemunt scriptoque dolent in cortice cedri :
 203 "Parcite, apes ; nisi triste nihil de rore legetis ;
 204 infecere mei rores et pabula questus."
 205 Ah dolor, ah desiderium : non antra, nec horti,
 206 non imae valles, non silvae, aut flumina servant
 207 non monumenta senis ; quin hic quoque signa dolorum
 208 tofus habet memor, et lacrimas, quas ebibit ante,
 209 nunc quoque gutta refert, referunt et saxa dolorem.

CICERISCUS

210 Ille quidem flet adhuc ; sed multa, Faburne, levari
 211 posse monent, numerique monent et verba querentis,
 212 quaeque ipse in vultu speculans et voce notavi,
 213 dum vacuum in foribus discreto vimine texit
 214 fiscellam, et vario solantem se Orphea cantu
 215 conjuge cum socia pingit, memoremque querelam
 216 quemcunque ad juncum ingeminans miseratur amantem.
 217 Mox subit : "O mea quisnam, heu quis mea vulnera curet ? "
 218 En audi : "Mihi cur, cur o mihi triste minatur
 219 Iris ab exortu, maerent sata, luget et hortus ?
 220 Tandem, o tandem Aquilo nubes disperget et Austros.
 221 Quinam, o qui desiderium et mea vulnera sedet ?
 222 Orpheaque Eurydicemque sequentem intexite, junci,
 223 dum fiscella levi circumfrondescit acantho.
 224 Saevit hiems dira, et pecori ferus ingruit aer,
 225 atque apibus tandem, o tandem mitescet et aer,
 226 et Zephyri ver diffundent ; quaenam aura, quis aegrum
 227 solatur veris tepor, aut nova mulcet hirundo ?
 228 Orpheaque Eurydicenque sequentem intexite, junci,
 229 dum fiscella levi circumfrondescit acantho.
 230 Arescunt caeli vitio atque uredine prata
 231 et silvis cecidere comae ; tandem, o tandem imbres
 232 restituentque comas silvis et gramina pratis :
 233 quinam o restinguitque ignes et vulnera sanat ?
 234 Orpheaque Eurydicenque sequentem intexite, junci,
 235 dum fiscella levi circumfrondescit acantho."
 236 Haec senior, suetam interea nec spernit avenam,
 237 et pater exornat nymphis et mulctra Vacunae.

FABURNUS

238 Non amnes, Cicerisce, aut haec quae flumina cernis
 239 decrescunt non usta calore, augentur ab imbri ;
 240 post caeli tempestates pelagique procellam
 241 componunt sese fluctus, et nubila cedunt.
 242 Tristitiae quoque meta sua est. Meliseus ab antro
 243 prodibit tandem segetis memor et memor horti,
 244 diluet et rastris curas et falce dolorem.

CICERISCUS

245 Quin potius, quoniam ver appetit et sua curae est
 246 insitio, falcemque illi cuneosque paramus ?
 247 Cortice quoque etiam lentescat vulnus et udo,
 248 quae super ipse linens imponat glutina, libro.

**MAEON : SYNCERIUS ET ZEPHYREUS PASTORES QUERUNTUR APUD SEPULCRUM
 MAEONIS; MOX A DOLORE IN VOLUPTATEM CONVERSI AMATORIA AC PASTORALIA
 QUAEDAM CANUNT. SUB IPSIUS AUTEM MAEONIS PERSONA PAULI ARTALDI MEDICI
 MORS DEPLORATUR**

SYNCERIUS

E3_01 v.1 Ipse vides, quo tot, Zephyree, inventa sepulcrum
 2 cuncta tulit : superat vix, ah, vix est super umbra.

ZEPHYREUS

3 Synceri, non umbra diu, non fama, nec ipsa

4 exstabunt monumenta ; rogo vix pauca supersunt ;
 5 mox eadem nox obscura caligine condet,
 6 quae tumulo circum increscunt virgulta vel alto
 7 ignea vis excussa polo, aut manus improba perdet,
 8 ossaque nuda solo sparsa atque ignota jacebunt ;
 9 ne post ossa quidem, nec fabula Maeonis ulla.

SYNCERIUS

10 Haec igitur, Zephyree, dies ? Haec summa laborum est ?
 11 Quin potius, quoniam nulli sunt Maeoni sensus,
 12 Maeona nec lacrimaeve juvant aut carmen, eamus.
 13 Ara, vale, cineres magni pastoris avento ;
 14 nos, Maeon, nos te aeternum salvere jubemus.

ZEPHYREUS

15 Discedens ego, terra, tibi, quae Maeona servas,
 16 et desiderium et lacrimas meaque oscula linquo ;
 17 te Zephyri foveant molles, te lenior aura,
 18 Maeonis et de qua frondescet amaracus urna
 19 usque fluat liquor ille tibi, quo vulnera et ipse
 20 sanabat, quo Naiadum comebat et ora,
 21 fundebatque deum ambrosiam per rura, per hortos,
 22 aeris et medica purgabat ab arte venenum,
 23 quo fuit et silvis olim tam notus et urbi,
 24 et fama superavit Ocrim jugaque alta Matesi.
 25 Ipse vale aeternum, Maeon, mihi maxime Maeon.

SYNCERIUS

26 Nunc agedum, tenues calami, mea dulcis arundo,
 27 dii caelo, terris umbrae, nos lenibus auris
 28 cantantesque fruamur et otia laeta sequamur.
 29 Cura olerum studiumque herbarum artesque medendi
 30 viventem juvere expressi et Maeona succi,
 31 me compresse juvant labris labra ; Phylli, venito ;
 32 ipse inter frondes coryletaque densa latebo.

ZEPHYREUS

33 Oscula me suppressa juvant ; mea Lychni, maneto
 34 qua platani strepit umbra, sonat leve murmur aquai.

SYNCERIUS

35 Non me tam levat aura Canis sitientis in aestu,
 36 spirat Acilla suo quam quod de pectore anethum.

ZEPHYREUS

37 Me risus fovet, aura Philaenidis, aura cachinni,
 38 sordeat ut Philomela apiumque ad saepta susurri.

SYNCERIUS

39 Vidi ego picta manu selectaque fraga legentem,
 40 innuit et mihi, sarta deus dum stringit in umbra :
 41 Hic ibi tum femur hirsutum setosaque menta
 42 obstupui atque oculos fruticoso in margine fixi.

ZEPHYREUS

43 Vidit me dum poma lego arrisitque legenti,
 44 et dixit mihi Nais : "Amant et poma Napaeae."
 45 His ego tum implevique sinum obstupuique papillas
 46 pectora dum limis oculis et colla pererro.

SYNCERIUS

47 Suave per aestatem, ad fontem stat ubi unda, canorum
 48 agmen et argutas ranarum audire querelas,
 49 vellera tum crispantem et cornua lata moventem
 50 Cirronem spectare, salit dum terga Macillae,
 51 mox Rufam, mox Albigenam, mox Thyrsan et Hypsan,
 52 ac juxta residere, cui tua gaudia narres.

ZEPHYREUS

53 Suave per hibernum frigus, dum nox silet, ipsum
 54 ad fenile boum murmur, cum ruminat omnis
 55 grex simul et pastae suspirant pignora matres,
 56 audire, et saturi distenta sub hubera foetus
 57 dum ludunt, petit hic socium, fugit ille petentem,
 58 atque una recubare, cui tua pectora jungas.

SYNCERIUS

59 Hic aries villosus et hirtis cornibus, aure
 60 quadrifida, cui tergemini lato inguine testes
 61 horrescunt, hic ipse aries gregis omnis et omnis
 62 virque paterque gregis ; patrem hunc fetura fatetur,
 63 admissura virum ; spes est gregis omnis in uno.

ZEPHYREUS

64 Miraris taurum hunc ; patrem hunc Lucania et unum
 65 jactat habetque virum ; armenti laus omnis in uno est.
 66 Ducit ab herculeo genus et cognomina tauro ;
 67 hunc Dryades mirantur, amatque et deperit illa,
 68 quae facie tauros, oculis capit aurea cervos.

SYNCERIUS

69 Sit modus, o Zephyree : instat nox, ite capellae,
 70 ite et oves ; age coge, Lacon, age coge, Lycarba,
 71 latratu et revoca, cessit qui amatre, juvencum.

ZEPHYREUS

72 Synceri, hoc age, lecta sinu dum mespila condo,
 73 in thyrsum dum sorba suis cum frondibus apto.
 74 His gaudet tua Sila, probat mea Rufula sorbum.

SYNCERIUS

75 Eia eia, Saturisca, domum, ad praesepia nota,
 76 quid segnes ? Eia ite, eia ; nox advenit, eia,
 77 ite domum ; insidiis nox opportuna luporum est.

IV ACON. PETASILLUS ET SALIUNCUS COLLOCUTORES

PETASILLUS

E4_01 v.1 "Cedite, Naiades nymphae, jam cedite, vincit
 2 pulchra Nape paetisque oculis nigroque capillo."
 3 Verberat his puer acer Acon atque increpat ore.
 4 Illae oculis conceptum atro sub corde venenum
 5 inspirant, quo victa Nape tabescit, ut altis
 6 tabescunt sub sole nives in montibus, et jam
 7 ponit humi languentem animum, morsque occupat artus.
 8 Hic ter Acon scidit ora comamque a vertice vellit
 9 et clamore nemus complevit, questibus auras.
 10 Clamantem Vertunnus opaco e limite sensit ;
 11 accurrit pueri memor, et, miseratus amantem,
 12 injecta tellure Napen tegit. Illa repente
 13 in bulbum conversa solo radicibus haesit ;
 14 vestit eam foliis deus et frondescere jussit :
 15 hinc olus, hinc herbosa Nape turgescit in agris.
 16 Haec nobis quondam pueris Meliseus ad ignem
 17 narrabat, cum rapa senex poscamque probaret,
 18 contusamque fabam sparsa condiret amurca,
 19 misceretque apio rutam, coriandron aceto.

SALIUNCUS

20 Non puduit cantorem igitur resonantis avenae,
 21 cui tot oves, pecoris tantum, mulctralia tanta,
 22 pellitum pastorem olitorum accumbere mensis
 23 ulpicaque et veteres ruptare ad prandia cepas.

PETASILLUS

24 Illum cepa recens viridisque cucurbita captum
 25 ducebat mentaeque sapor succusque sisymbrii,
 26 munere quo viridi recubans in cespite mecum
 27 haec cecinit, veteres fassus per carmen amores :
 28 "Huc ades, o mihi cara, vocant te, Ariadna, ligustra,
 29 te myrti salicesque vocant, age, cara, venito.
 30 Ipse tibi tenerum legi servoque phaselum,
 31 ipse cicer, tibi sepositis rosa floret in hortis ;
 32 En tibi caeruleus cucumis super amite crescit,
 33 caeruleus cucumis devectus arangide terra,
 34 Hic ubi nigirides ranae certare elephantis
 35 praesidio culicum haud dubitant et hirundinis atrae,
 36 te manet hic cucumis, propera, mecumque recumbe.
 37 Quin et campano devellere textus et umbro
 38 supparus et viridi circum variatus ibisco
 39 te vocat ; hunc suit Alcidamas, distinxit et Alcon,
 40 hic et acu Morco similis, quem mater Acilla
 41 instituitque colo atque apibus formavit alendis ;
 42 supparus is tibi sepositus blanditur et instat.
 43 Huc ades : en tibi grex, Ariadna, occurrit eunti ;
 44 dum properas, laetae plaudunt de fronde cicadae."
 45 Haec cecinit Meliseus, humique hortensia dona
 46 evellens mentastrum atrox et sectile porrum
 47 sustulit ipse humeris fascem et redolentis anethi,
 48 mox sese in montes et pascua nota recepit
 49 ad veteres lauros fumosaque tigna Vesevi.
 50 Illinc et mihi fiscellas et cymbia lactis
 51 mittit, amicitiae memor et trivialis avenae,
 52 idem pastorum cultor pariterque olitorum.
 53 Post dulces quandoque epulas juvat esse lupinum,
 54 esse inulas, asprina juvant post lene falernum ;
 55 et mea me quotiens petit ore Biturrica, quantum
 56 ruta juvat, quam labra juvant redolentia porrum.
 57 Scilicet ille, satur scrutis et lactibus agni
 58 ac sale continctis haedorum clunibus, atrum
 59 laudat olus, acres ruptat de gutture bulbos.

SALIUNCUS

60 Et nostri, Petasille, greges sensere canentem
 61 in silvis Meliseon, adesaque saxa sonorem
 62 dum referunt, tacitae cantum stupuere Napaeae ;
 63 et (mirum) fessae vocem tenuere cicadae,
 64 prostrataeque solo jacuere ad carmina vaccae,
 65 oblitae cytisum pecudes, satureia capellae.
 66 Incipit hinc : "Ariadna piro mihi gratior ipso,
 67 quod superat vel odore rosas, vel fraga colore ;
 68 dum pectus foveoque manu tractoque papillas,
 69 non mulctra juvant, non lactis plena recocti
 70 fiscina, non haedus dum ludit ad ubera matris,
 71 buccula non cupido dum blanda admugit amanti."
 72 Desierat : plausere boves, plausere juveni
 73 mugitu, socio responsant antra favore
 74 convallesque cavae, resono nemora avia cantu.
 75 Mox iterum : "Dulce, in pratis dum gramina tondent,

76 cernere capreolos variato tergore, pictis
 77 distinctos maculis ; mater vocat usque paventes,
 78 sectantur trepidi vestigia matris anhelae,
 79 ludunt et saturi circum ubera nota gemelli.
 80 Suave per aestatem liquidam, mulcentibus auris,
 81 dum tectae ramis volucres connubia miscent,
 82 pandentemque alas caudamque ad terga rotantem
 83 pavonem spectare. Vocat Junonius ales
 84 consortem thalami, speculosa volumina versat,
 85 cauda micat, mediis fulgent sua sidera pennis ;
 86 venit amans, cupidis miscent simul oscula rostris,
 87 jungit amor geminos, geminataque gaudia gliscunt,
 88 inter utrosque suos Venus ipsa accendit olores.
 89 At mea cum liquidos Ariadna recedit ad amnes
 90 albentemque pedem nudatque ad flumina suras,
 91 genuaque sub vitrea candent argentea lympha,
 92 et fungis alni candentius et nive corni,
 93 populus et niveos quos jactat in aera flores ;
 94 tunc mihi corda liquant vel mella Sicanidos Hyblae,
 95 mella favis Heliconis et anteferenda libyscis
 96 et succo, Siculae stillant quem cortice cannae."
 97 Finierat : simae rupere silentia caprae,
 98 ruperunt et oves, simul cum matribus agni,
 99 balatum referunt colles Gaurique recessus,
 100 et Cumae vacuae et cryptae graveolentis Averni,
 101 antraque Musconis et opaca sepulcra Tyaennae.
 102 Haec ait, et latis humeris quae buccina pendet,
 103 inflat eam labris turgentibus : illa frementi
 104 involvit caelum gemitu. Quo concita silvis
 105 erumpit clamore suum gens horrida setis,
 106 horrida grunnitu et tudentibus aera sannis.
 107 Ipse manu glandem spargens citat ore, crepatque
 108 ora per et dentes rictu glans hausta voraci,
 109 lambentes catuli circumstant hubera matrum.
 110 Mox abit ad fagos, sequitur simul undique pubes
 111 armentalis, agris regnat Meliseus in ipsis
 112 nodoso incumbens baculo et stans imperat ; adstant
 113 umbronum generosa cohors, turmaeque laconum
 114 latratu lupos arcent et limine fures.
 115 Haec memini, Petasille ; juvat meminisse ; vel urnam
 116 candentis lactis pretium ferat, o mihi siquis
 117 hunc iterum det vidisse atque audisse canentem,
 118 det calamos modulare levemque inflare cicutam.

PETASILLUS

119 O mihi siquis eum sistat Vulsonis in antro
 120 rursus et ad Mopsi salices aut rura Salenti,
 121 ille sibi vitulum pretium ferat, eligat agnum
 122 cornipetam, cui lana pedes descendit ad imos.
 123 Rursus et ipse suos recinat Meliseus amores,
 124 aut cum Delioli pratis, Minionis ad alnum
 125 haec dolet, et socius ranae junxere querelas :
 126 "Ad corylos Ariadna canit subtegmina ducens,
 127 dum canit, assuetas miscet Philomela querelas ;
 128 conjugis absentes haec dum suspirat amores,
 129 ingeminat memorem nati Philomela dolorem ;
 130 dumque viri barbam meminit setosaque menta,
 131 hic Philomela gravem sustollit in aera questum ;
 132 dumque torum queritur fraudataque gaudia lecti,

133 maesta silet Philomela facitque silentia luctus :
 134 suspirant redolentque simul, quo carmine captae
 135 formicae tacitum dant laeta per agmina plausum.
 136 Ad fluvios me torret amor, fax urit ad amnes :
 137 o mecum veteres, ranae, renovate querelas.
 138 Dum tibi promitto noctem meaque oscula, conjux,
 139 deliciasque paro gregis et nova munera porto,
 140 dum labor ad fontem sudataque pectora tergo,
 141 et filicem necto crines ac tempora circum,
 142 ecce lupum ad caulas ; agnumque ex ubere matris
 143 eripit et tacitus latebrosa per avia tendit.
 144 Ipse sequor, noctem in nimbis per inhospita duco,
 145 et mea te, conjux, exclamans pectora plango :
 146 O mecum veterem, ranae, revocate dolorem.
 147 Dum tibi de viridi fiscellam vimine texto,
 148 virgaque caeruleo miscetur candida junco,
 149 flavaque supremum circumdat linea textum
 150 et limbum croceo subtexunt flore corymbi,
 151 ecce per impluvium demisso fune pedumque
 152 et picturatum buxi de fronde galerum
 153 fiscellamque, decus texturae et ruris honorem,
 154 surripiunt fures, ah, monstra pudenda Brigantum.
 155 Excucior somno trepidus, latrante Cynandro ;
 156 dum crudo perone mihi pes sternitur alter,
 157 ingruit atra cohors murmur, subroditur alter
 158 pero, nec a morsu pollex defenditur aegro ;
 159 exclamo, lacrimansque genas et pectora tundo :
 160 o mecum questus, ranae, geminate recentes.
 161 Dum fetus geminos vaccae candentis, adulti
 162 spem gregis, ad fluvios et prata virentia duco,
 163 dum mihi promitto soboles, ad aratra juvencos,
 164 ad mulctram vitulas, ad dolia dona Lyaei,
 165 dumque sero cytisum vaccis, arbustaque pango,
 166 atque serens canto ad sulcos, vinetaque pangens
 167 ad foveas ipsi mecum experiuntur et agni,
 168 ludunt ad sentes infirmis cornibus hedi,
 169 ah dolor, ah lacrimae, sonuere tonitrua coelo,
 170 discurrere faces, ignitaque tela coruscant,
 171 de caelo tacti fetus, armenta gregesque
 172 et tactae vites avulsa et stiva serenti
 173 attonitu ; vix ipse super turbatus et amens
 174 stragem inter pecorum frugumque relinquo, et atris
 175 ambustus flammis jaceo ; vix colle propinquo
 176 lapsa Pales tutatur humi tollitque jacentem :
 177 o mecum solitas ranae instaurate querelas
 178 et luctum geminate ranae instaurate querelas."
 179 Concidit hic : ipsi simul ingemuere juveni
 180 ingemuere et oves cumque ipsis matribus agni,
 181 ingemuere caprae ipsis et cum matribus haedi,
 182 demisere comas quercus, liquere palumbes
 183 et quercus, frondemque nuces posuere, columbi
 184 deseruere nuces, ramos fregere myricae,
 185 deseruere et aves nidum et cum prole myricas,
 186 deseruitque et apis flores roremque cicadae
 187 et ranae mutis fecere silentia buccis.
 188 Haec Saliuncus et haec referebat arundine clarus
 189 et calamis Petasillus, uterque insignis avena.
 190 Interea asparagosque legunt fungumque recentem

191 boletosque sequuntur et altercantur utrimque,
 192 conditura suo quae sit miscenda sapore ;
 193 tecta et uterque subit nigro squalentia fumo
 194 hirsuti Labeonis. Hic et miscere falernum
 195 asparago docuit, docuit piper, hic boletis
 196 incoctumque pirum, mentae silvestris acervum
 197 aliaque adjicere et contritum serpillum,
 198 postremo querulis oleum stillare patellis.

V AD ACTIUM SYNCERUM SANNAZARUM CORYLE

E5_01 v.1 Hanc, Acti, (neque enim patula solum aesculus umbra
 2 grata placet) corylum tueare, nec arbutus una
 3 carmine nota dei est, Pana aut tegit una canentem,
 4 aestibus in mediis somnos suadente cicada ;
 5 verum etiam et corylus nostris est cognita silvis,
 6 nec tantum Meliseus eam, aut tantum una Patulcis
 7 ornarunt calamis caesoque in cortice versu,
 8 cum questu commota gravique excita querela
 9 vertice decuteret frondes, et corde sub imo
 10 redderet : "Heu heu." Sed singultibus interrupta
 11 plena nequit raucas jam vox erumpere ad auras ;
 12 sibilat ipsa tamen : "Vidi tua funera, conjux"
 13 atque illa : "Ah moriens morientem, Ariadna, relinquis."
 14 Nam jaculo quondam choreisque insignis acuque
 15 praestabat Coryle, nympharum haud ultima forma.
 16 Sed quo non penetrat livor ? Dum fessa lavaret
 17 ad fontem, dum membra fovet sebethide in unda,
 18 Vertit eam cantu in stirpem Circeis Abelle,
 19 ac densis circum ramis et cortice saepsit.
 20 Illa novo latitans sub stipite flevit, et ipsos,
 21 ah miseram, audita est poenam deposcere divos.
 22 Sic olim puer audieram, dum cantat Amilcon
 23 ad choreas, nitet alba seni coma, deque galero
 24 cauda lupi et furvis horrent umbracula cirris.
 25 Tityrus hunc docuit, sub quo cava fistula primum
 26 montibus his numeros deduxit et antra canore
 27 implevit. Corydona quis aut non novit Alexin,
 28 pastorum aut musam Damonis et Alpheisiboei ?
 29 Inde alii. Imprimis bifori Corylenus avena
 30 saevum arcu cassumque oculis et pectore Amorem
 31 obtrectare ausus, et amaro incessere cantu.
 32 Quod facie minium referens, quod flavus et albo
 33 pectore, proceros quod late effusus in artus
 34 deperit Aridiam, cui sit breve corpus et ater
 35 inficiat livor nigras cum pectore mammas
 36 torpescantque oculi albescant et tempora canis ;
 37 assiduus tamen in silvis, ad flumina clamet :
 38 "Aridia o mihi cara, ades, et simul oscula junge,
 39 en primas tibi castaneas, prima arbuta servo ;"
 40 Aridiam solae referunt sed inaniter aurae.
 41 Non igitur tantum Meliseus et una Patulcis,
 42 verum hedera praecinctorum virenti et tempora myrto

43 ac molli calamos circum complexa labello
 44 Antiniana suos longum est conquesta dolores
 45 ad corylum. Haec solitas lacrimoso murmure voces
 46 frondibus instrepere, ac rupto de cortice visa est
 47 et questus repetisse gravem et geminasse querelam ;
 48 ut nuper, cum exutum armis vinctumque referret
 49 immitem Veneris puerum solaque sub umbra
 50 desertum, ac tacitas furtim effugisse Napaeas.
 51 Invidia heu tantum potuit visque efferata amandi
 52 victa metu, alteriusque tori suspecta libido.

E5_02 v.1 Certabant una genitrix face, natus et arcu,
 2 ille ferire homines, urere at illa deas.
 3 Par erat hinc hominum gemitus, par inde dearum,
 4 atque hinc atque illinc par quoque vulgus erat.
 5 Ridebat genitrix, rubuit puer ; ille pharetram
 6 excutit, accenso haec concutit igne facem,
 7 tum simul una duas involvit flamma Napaeas ;
 8 clamantur : "Uno laedimur igne duae ;"
 9 pastores una tris vulnerat ille sagitta ;
 10 vulnere tres uno congemere pares.
 11 Fassa est se victam risu dea, terque per ora
 12 perque genas nato basia anhelata dedit :
 13 prima rosas oluere Paphi, Cnidiam altera nardum,
 14 tertia amaracinas visa referre comas.
 15 Collocat hinc gremio fessum, lenemque quietem
 16 invitat blando naenia grata sono ;
 17 rorarat teneros artus sopor, et tamen ipse
 18 articulos, tanquam spicula tractet, agit.
 19 Mox viola super instratum mollique ligustro
 20 ponit ad argutae fluxile murmur aquae,
 21 commendatque suae Sebethidi, moxque sub ipsum
 22 tecta nemus longe devia rura petit,
 23 diversosque legens non uno e gramine flores
 24 nunc sibi, nunc puero sarta novella parat ;
 25 nec non et Charites, studio mulcente laborem,
 26 effundunt teneros prata per uda modos.
 27 Admovet interea pueri Sebethis ad ora
 28 ora sua et sensus inficit inde suos ;
 29 illicit huic tacitum serpit per membra venenum,
 30 sentit et afflatus corde dolente novos.
 31 Doliolum tunc moesta petit, soloque sub antro
 32 conqueritur, flammam nec capit ipsa suas :
 33 "Parve Amor, heu deserte Amor, heu puer una sub umbra,
 34 nec comes aut custos, non tibi mater adest,
 35 fraudes insidiaeque assunt, male credite silvis,
 36 ah sopor, ah tanto conscia ripa dolo."
 37 Hinc Nemesis ruit, inde comis effusa Corinna,
 38 Lesbia at hac, illa Cynthia parte volat ;
 39 corripit haec arcus, suspectas illa sagittas,
 40 et jacit in medios noxia tela rubos ;
 41 illa manus junco religat, simul altera vittis
 42 obstrinxitque oculos occulitque genas.
 43 Mox laetae spoliis redeunt, gratantur euntes,
 44 quod sit rivalem nulla habitura suam,
 45 quod nullae invidiae posthac in amore futurae,
 46 quodque sit et certum quaeque habitura torum,
 47 sitque etiam nullos tandem sensura dolores,

48 dum nova mutata sorte in amore rota est :
 49 "Unus amor, sua cuique fides, mala philtro valento,
 50 nil puer hic, quo nos ludere possit, habet."
 51 At puer, ut somno excitus nova vincula sensit,
 52 atque oculos vitta praepediente tegi,
 53 fletque simul, clamatque simul : "Properate, sorores,
 54 demite texta oculis, solvite vincla manu ;
 55 heu, mater, cui me liquisti ? Credula mater,
 56 me violae aut sertis posthabuisse potes ?
 57 Ingratae Charites, somne insidiose, nemusque,
 58 et tela et pharetrae num periere meae ?
 59 Pastores, genus infidum, infidaeque Napaeae,
 60 reddite nunc arcus, reddite tela mihi ;
 61 quod si, quae vobis jam sint nocitura, timetis,
 62 reddite quae saltem sint nocitura deis."
 63 Talia per lacrimas iterat puer. Ecce per hortos
 64 mota quidem questu pulcra Ariadna venit,
 65 qualis quae fraudem metuat, quae ferre dolenti
 66 quaerat opem. Sit opem poscere dignus Amor.
 67 Ut dextram explicuit : "Mater mea", dixit, et illam
 68 injicit in teneros, pectora blanda, sinus.
 69 Ut matrem suasere sinus, surrisit, et inter
 70 verba jacet blandis oscula blanda sonis ;
 71 mutua virgo refert, suasere quoque oscula matrem,
 72 dulceque nescio quid oscula Amoris habent.
 73 At postquam emicuere oculi et fax illa refulxit,
 74 visus Amor certe est, qui fuit ante puer ;
 75 visa sua et puero mater, sic pectora suadent
 76 orae, ni naevus prima labella notet.
 77 Sed tamen ingeminat : "Mater, da spicula, mater,
 78 redde arcum ac pharetram, telaque redde mihi."
 79 Ecce autem geminae per murmura nota columbae
 80 ostendunt arcus atque ubi tela latent.
 81 Eruit illa arcus et sentibus abdita tela,
 82 obducunt spinas qua tetigere rubi,
 83 tum puerum accingit pharetra, pharetraeque sagittas
 84 indidit, ipsa sua disposuitque manu.
 85 Ridet Amor, gaudetque arcus tractare, sinuque
 86 virginis e tenero vulnera sueta parat,
 87 ore puer, sed fraude senex atque arte magister,
 88 trux dis, trux homini, trux quoque et ipse feris.
 89 Mox collo implicitus nymphae, puerilia jungit
 90 oscula et alternos provocat ore jocos,
 91 paulatimque dolos meditans inspirat amicum
 92 virus, et a tacitis inficit ossa notis :
 93 "Nec tua non nostrae versabunt pectora curae,
 94 quique sinu teneor, corde fovebor Amor,
 95 nec vates derit, qui te quoque cantet, et illi
 96 ipse adero, ipsa tibi grata futura parens."
 97 Haec ait, et nitidis caelo se sustulit alis ;
 98 qua volat, auratae signa dedere comae.
 99 Ad matrem properat, nam vidit ab aere matrem :
 100 excipitur roseo matris ab ore suae.
 101 Quae postquam pueri casus et vincula novit,
 102 detersit lacrimis quaeque fuere notae,
 103 et solata simul, simul et miserata, papillas
 104 obtulit ; admovit labra manusque puer,
 105 deque sinu fluxere aerae, fluxere Favoni,

106 atque arabum afflatu prata oluere nemus.

E5_03 v.1 Haec postquam Antiniana, novum coryleta dederunt
 2 cum plausu gemitum ac veterem indoluere querelam.
 3 Illa iterum solata : "Quid, o maestissima, dixit,
 4 nunc corylus, Coryle ? Sors haec tua nunc quoque multis
 5 invidiae est ; lacrimae flores, suspiria fructus
 6 dant tua. Non paucis livor quoque profuit, et te
 7 invidia extollet, parietque injuria famam."

**VI QUINQUENNIUS. INSTITUTIO AD VITAE CULTUM ET RELIGIONEM.
 QUINQUENNIUS FILIUS, PELVINA MATER**

 QUINQUENNIUS

E6_01 v.1 Dic, mater Pelvina, fragor quis tantus et unde ?
 2 Dolia num stringitque cados vindemia et arctat ?
 3 Hei mihi, quam crebri rutilant de nubibus ignes.

 PELVINA

 4 Abde sinu te, nate, meo, atque amplectere matrem,
 5 ne trepida : di, nate, focis genialibus astant,
 6 castaneasque suo prunis cum cortice torrent.
 7 Illae, ubi sub cinere ardentem sensere favillam,
 8 displosae crepitant ; hinc tanta tonitrua caelo
 9 disjectique ruunt ignes. Caput exere, nate,
 10 di mensas liquere, neque est metus ullus ab igne.

 QUINQUENNIUS

 11 Me miserum, properat, procul en vestigia nosco,
 12 Orcus adest atque ore minax ac dente cruentus.
 13 Hunc, mater, mihi pelle manu : trahit horrida crura,
 14 et quassat caput, et mento riget hispida barba.

 QUINQUENNIUS - PELVINA

 15 Hunc abigas, Pelvina, mihi. - Fuge, saeve ; quid audes
 16 in puerum ? Fuge, claude. Meus jam nocte quiescit,
 17 inque diem queritur nihil hic meus. I, pete tesqua,
 18 atque famem solare faba ingluviemque lupino.

 QUINQUENNIUS

 19 Quid, mater ? Baculumne quatit ferus et riget aure ?

 PELVINA

 20 Illum ego, nate, antro inclusi scuticaque cecidi.

 QUINQUENNIUS - PELVINA

 21 Anne etiam zona vinxisti ? - Et compede cruda.

 QUINQUENNIUS

 22 Nunc, mater, tete amplector, novaque oscula jungo.

 PELVINA

 23 Quinquenni mihi care, tua haec sunt oscula ; junge,
 PELVINA - QUINQUENNIUS

 24 atque itera. - En iterum : dic, o mea, dic, age : quidnam
 QUINQUENNIUS - PELVINA

 25 hic Orcus deus est ? - Deus est hic, nate, malignum
 26 numen et in pueros saevum grassatur. It umbra,
 27 dentivorax umbra, horrificans noctemque diemque,
 28 et baculo ferit, et dextra rapit, et trahit unco,
 29 fauce et hiat puerum, queritur qui nocte, die qui
 30 oblatrat matri mammaeque irascitur ; illum

31 et dextra fovet et cauda demulcet amica,
 32 qui ridet matri, inque sinu nutricis amatae
 33 dormiscit, capit absinthi et cum melle liquorem ;
 34 quin cui brassiculae semen placet, huic dat ab ipso
 35 blandus avem nido, dat pictae colla columbae,
 PELVINA - QUINQUENNIUS
 36 quam tibi pollicitus. - Num perlita crustula melle
 QUINQUENNIUS - PELVINA
 37 est quoque pollicitus ? - Dabit haec tibi, nate, benignum
 38 numen et ille deus, cui nos atque omnia curae.
 QUINQUENNIUS
 39 Dic, mater : deus iste quis est numenque benignum ?
 PELVINA
 40 Qui tenerum lactis florem ac jentacula praebet,
 41 dum matri puer obsequitur, dum paret alenti ;
 42 qui plena melimela manu croceasque placentas
 43 dat pueris, dum litterulas et carmina discunt.
 QUINQUENNIUS
 44 Num det fraga mihi, cerasi num molle quasillum,
 45 ad ferulam cum discipulis si crastinus asto ?
 PELVINA
 46 Quin et cariculas, quin mitia sorba nucemque
 47 pineolam et dulci perfusa cydonia musto.
 48 En crustum, en prunum aridulum, en mustacea et offas.
 QUINQUENNIUS
 49 Num, genitrix, deus hic panem post vina canenti
 50 mulsa sacerdoti miscet, dat sorbile et ovum ?
 PELVINA
 51 Quin et avem : pinguem ipse suum vult esse ministrum.
 52 Det tibi avellanas ficumque uvamque recentem,
 53 invisit quotiens templum et veneraberis aram
 PELVINA - QUINQUENNIUS
 54 et faris bona verba. - Monedula si mihi detur,
 55 quive gemat cavea turtur, vel tympana pulsem,
 56 dum facit antistes rem sacram atque incubat arae.
 PELVINA
 57 His ego citriolum frondenti et praecoqua ramo
 58 addiderim, nulla in gremium si lotia noctu
 59 fuderis Unctiliae, tibi quae dedit ubera parvo.
 PELVINA - QUINQUENNIUS
 60 Nunc grandem loti pudeat. - Mihi desine, mater,
 61 irasci. Sopor ipse gravat ; nam saepe per umbram
 62 ludere cum pueris videor, vel litore primo
 63 nare simul, nassaque leves includere pisces,
 64 exclusos mox elabi, me subdier amni,
 65 stillare et liquidum madefacto e corpore rorem.
 66 Hoc nato, mater, praesta, ut deus ille benignus
 67 excitet e somno stupidum exhibeatque matellam :
 68 cedam ego cariculis siccis dulcique placentae.
 PELVINA
 69 Atqui, nate, deus nil esurit ; ille matellam
 70 haud curat. Quin dona cape et cape semina, quis tu
 71 urinam moderere et lotia rara remittas ;
 72 sin aliter, deus ille atrox tibi nate flagellum
 73 incutiet. Volat explorans, quis lintea parvus
 74 inquiet, urticaeque decem fert se ante maniplos,
 75 et caedit scutica nigroque involvit amictu
 76 micturientem aliquem, tetroque absorbet hiatu.

77 Mitescit tamen et rictus compescit hiantis,
78 pectendum quotiens matri buxoque colendum
79 praebueris caput, et purgandum lende capillum.
80 Nam secus intortum orditur de vertice funem,
81 quo puerum trahit et deserta exponit in alga,
82 invitatque avidas adaperto gutture phocas.
83 Quare, age, care, mihi cervicem amplectere, et ipso
84 lude sinu, simul abde oculos et collige somnum.
 QUINQUENNIUS
85 An, mater, mihi blanditias et carmina dices ?
 PELVINA
86 Dicam, nate ; etiam cunas modulabor ad ipsas
87 neniolam ; cape naeniolam, et nigra lumina conde.